Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1061
Quelle:
Copyright:

cat, *Hagiologio* totus *Johannis* sive sub Proconsule *Ephesi*, sive sub *Domitiano Romae* Αγων, quem non solum *Codex* noster, sed etiam *Bonin. Mombritius* in impressis sub Typographiae initia *Mediolani* SS. Vitis exhibet.

CCCCXLV.

R. 4 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 115. ejusdem cum praecedente, cujus Pars II. est, rationis *Lectionarium* a Dominica Paschatis ad Dominicam XXIV. post Pentec. complet. Hic quoque ad imam oram *fol.* 1. legitur: *Liber iste est Congregationis Casinensis alias Sancte Justine de padua deputatus in Monasterio Sancti Severini et Soc. de neapoli. Sign. num. 92.* Titulus miniatus est: *In Die Sanctum pasche. Lectio Sancti Evangelii Secundum Marcum. In illo tempore Maria magdalene et maria iacobi* &c. *Homelia Beati Gregorii pape. Multis Vobis Lectionibus Fratres karissimi per dictatum loqui consueui* &c. Habetur *Homiliarum* L. II. *Hom.* 21. edit. *Maur.* T. I. *Paris.* 1705. *col.* 1526. f. Atque Parte hac Homiliae ferme omnes e *Gregorio* et *Beda* depromuntur. Libri Scripturae, e quibus legitur, sunt: *Apocalypsis, Actus Apost. Libri Regum, Proverbia, Job, Tobias.* A *fol.* 92. character succedit crassior, major. Post Dominicam XXIV. adscripta est *Dominica de Sancta Trinitate*, cujus Lectiones maximam partem petitae sunt ex *Alcuini* Opusculo *de Fide S. Trinitatis*, eique adnexa *Confessione*, prout haec habentur edit. *Ratisb.* T. I. P. III. p. 703. f. *Fol.* 112. p. 2. sequuntur Acta Martyrii S. *Agathae* sub hac rubrica: *Non. Febr. Natale Sancte Agathe Martiris.* Eorum initium: *Beatissime Agathe Martiris que passa est in prouincia sicilie in urbe cathaniensium sub decio imperatore. ipso decio proconsule die nonarum februariarum recitamus ystoriam. Quintianus consularis sicilie audiens* &c. Extant apud *Mombritium* supracit. et inde apud *Bollandianos T. I. Febr.* p. 615. τὸ *decio proconsule* σφαλμα est pro *ter* vel *tertium Consule.* Demum *fol.* 114. p. 2. ἀνεπιγραφως occurrit Narratio de Cruce a *Constantino* M. in coelo visa, et nato inde ejus studio Crucem Servatoris reperiendi, in quem finem *Helenam* matrem *Hierosolymam* misisse dicitur Cruce tandem post varias cum *Judaeis* disceptationes potitam. Figmentum est *Graeculi* cujusdam barbara hic versione donatum, quae infit: *Anno ducentesimo tertio decimo regnante uenerabili dei cultore constantino in sexto anno regni eius gens multa barbarorum congregata est super danubium* &c. Legitur graece inter *Narrationes dubiae fidei* apud *Jac. Gretserum de Cruce Christi* T. II. *Ingolst.* 1600. p. 540. 4. hoc titulo et initio: Οπτασια Κωνσαντινου του μεγαλου βασιλεως περι της Ευρεσεως του τιμιου Σταυρου. Εν ετει εβδομῳ της βασιλειας Κωνσαντινου του μεγαλου βασιλεως, μηνι Ιαννουαριῳ συνηχθησαν πληθος βαρβαρων επι τον ποταμον